

**Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.****Tekst kompilowany uwzględniający wersje sandomierską i krakowską**

Rękopis Biblioteki Opactwa Św. Floriania Austria (Stiftsbibliothek St. Florian), sygn. 551/XI, k. 50v–51

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 64 [Gn. 61]

[64] [M]ulier<sup>a</sup> pro armis bellicis gladium mariti et suum runcinum vel dextrarium meliorem sellatum et meliora arma, que habuit pro corpore unius viri, cum decessit in sua potencia, deinde debet dare pulvinar bellicale, hoc est lectum et duas kossinos, et duo lintiamina, et unum mensale, et duas pelves, unum manuterium. Hec sunt universalia arma bellica. Sed tamen aliqui homines diversa apponunt, que tamen ad ea non pertinent, sed quicquid ex hiis nominatis non habuerit, ad hoc, quod det, compelli non potest, si iuramento probaverit pro qualibet re per se. Si vir ostendere patenter poterit, ibi vir nec mulier per iuramentum evadere potest. Ubi duo aut tres ad una bellica arma nati fuerint, senior recipit gladium pro se et cetera dividant inter se equaliter. Et ubi pupilli annos pubertatis nondum attigerint, et eorum senior agnatus recipit arma bellica solus, et in eis est puerorum tutor quousque ad annos discrecionis pervenerint, extunc ipsis reddere tenetur et in super omnia bona ipsorum, nisi rationem fecerit eis, quo ea ad eorum profectum converterit, aut per spolium aut per apparens infortunium et absque sua voluntate ammiserit. Ipse eciam est vidue tutor, quousque maritum ducet, si paris sibi fuerit condicionis. Post arma bellica mulier vite recipit provisionem et alia omnia, que ad suppelectile pertine[n]t, sicuti [s] sunt omnes oves et auce, ciste cum elevatis tecturis, omnia strata pulvinaria, kossini, linteamina mensalia, pelves, manuteria, lucibula, candalabra, semen lini et linum, et omnia muliebria vestimenta, annuli, brachialia et crinalia, psalteria et omnes libri, in quibus mulieres legere consueverunt, qui ad Dei cultum pertinent, sedilia et scrinia, tapecia, dorsalia, vela tectoria, balneamina et omnia pepla, et alia ornamenta capitis muliebria, hoc est, quod ad femine spectat supellectile. Et ad hoc diversa sunt clenodia, que ad suppelectilia pertinent, singulariter ea non nomino, sicut [k. 51] seticule, pectines [s], forpices, specula. Sed tela non incisa, nec aurum, nec argentum non textum non pertinet ad feminas. Et quidquid extra prenominata in rebus inventum fuerit, circa vitam viri, qui mortuus est, exemet, si vult, ad quem pertinet. Sacerdos dividet cum fratre, sed non qui monachus est. Si puer in annis pubertatis religionem intraverit, bene potest exire, si vult, intra annos et ius observat feodale et terrestre. Sin autem vir, qui dum annos pubertatis inplevit, religionem intraverit, hic se a iure terrestri ac feodali alienavit, et sua feoda vacant, quia scutum bellicum resignavit. Quod hoc possit protestari per hos, †q† cum quibus similem vitam visus est suscepisse.

<sup>a</sup> zostawione miejsce na ozdobny inicjał M wysokości dwu wersów

[hasła: hergewet, gerada, kobieta, miecz, koń, mąż, przysięga, pełnoletność, lata sprawne, pupil, dobra, opiekun, wdowa, równy stanem, klejnot, srebro, złoto, zobowiązanie, kapłan, mnich, transakcja, lenno]